Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 363

Quelle:
Copyright:

Hos an Autores, an Librarios dicam, neſcio. Offerunt ſe quidem *Theodorici*, qui *Metrica* ſcripſere, ſed horum aetas Poemati noſtro non congruit, quod *Bernardum* adpellat *beatum*. Ad calcem: *Explicit ſtella puerorum*, vel ſi mavis, *paruorum. Anno domini. M°. CCCC°. LIII°.* Item: *Gloria ſcriptoris primumque ſui creatoris. Vacat hic verſus.* Nequis eum putet Poemati accenſendum.

IV. *fol.* 102. Poema hexametrum rhythmicum in laudem S. *Gregorii* M. ejusque Operum, allegoria ſumta e *Canticis Canticor.* literis initialibus Carminum inſuper *Cap. III. verſum* 9. et 10. *Ferculum fecit ſibi Rex Salomon* &c. et illud *Eccl*ⁱ. XLVII. v. 12. *Ornavit tempora usque ad conſummationem vitae*, repraeſentantibus. Initium:

Fert liber inſignis. quia de libani ſibi lignis
Ex animo ſculpta formaret fercula multa
Rex ſalomon prudens. qui carmina plurima cudens &c.

Ultima:

Merces ergo poli Wilhelmo fixa priori
Munera tanta bono Sigebercb in monte patrono
Articulat celi quia ſignifero Michaeli
Tum probat hec Anno cum Mauricio duce magno
Inter quos dignus martir rutilando benignus
Omnia perpendit trutinat gratesque rependit,

En Monaſterium *Siegebergenſe* O. S. B. ad *Sigam* amnem in Dioeceſi *Colon.* trans *Rhenum* monti incumbens a S. *Annone* a. 1066. cum Baſilica ſub invocatione SS. *Michaelis, Mauritii* et Sociorum conditum et a. 1073. corpore S. *Benigni* Mart. auctum, cujus Abbatum Series, nuda licet et *'αχεφος*, e *Bucelino* in T. III. *Galliae Chriſtianae* p. 766. transſcripta *Wilhelmos* exhibet *tres*, in quorum primum dictum a *Spieſs* inclino. Sed et reliqua audiamus:

Nec labor heinrici ſcripture talis amici
Exſors laudis erit calamo qui premia querit
Mente. manu. cultro conſummans hoc opus ultro.
Vita ſibi detur opus hoc quicumque tuetur
Intereat digne rapiens illud ſtigis igne
Terribilem mortis procul a nobis leo fortis
Expellat neuum qui regnat nunc et in euum.

Si